Sint duæ lineæ a b & c, quarũ una scilicet a b, in quotlibet partes diuidatur quæ sint a d & d e & e b: dico ꝙ illud quod fit ex ductu c in totum a b, æquum est illis parallelogrãmis rectangulis simul iunctis quæ fiunt ex c in a d & in d e & in e b. Super puncta a, b, erigam lineas a f & b g perpendiculares super lineam a b, quarũ utraq; sit æqualis lineæ c, & complebo rectangulã superficiẽ a f b g, ducta linea f g, quæ per diffinitionem producitur ex c in a b, & sub illis dicitur cõtineri. Protraham quoq; per 31 primi a punctis d & e, lineas d h & e k æquidistãtes lateribus a f & b g, eritq; utraq; earum æqualis c per 34 primi, quoniã utraq; earũ est æqualis a f: per diffinitionem igitur rectangulũ a d f h producitur ex c in a d, & sub illis dicitur contineri, & rectangulũ d h e k, ex c in d e, & rectangulũ e k b g, ex c in e b. Et quia hæc rectangula simul iuncta sunt æqualia totali rectãgulo a f b g, patet uerũ esse propositũ.



Eucli. ex Zamb. Theorema 1 Propositio 1

1 Si fuerint binæ rectæ lineæ, seceturq; ipsarũ altera in quotcunq; segmenta, rectangulũ comprehensum sub duabus rectis lineis, æquum est eis quæ ab insecta & quolibet segmento rectangulis comprehenduntur.

Hæc primam æquationem Algebræ demonstrat.

THEON ex Zamb. *Sint binæ rectæ lineæ α & βγ, seceturq; earũ altera βγ utcunq; in δ, scilicet, & ε signis. Dico quod rectangulũ cõprehensum sub α & βγ æquũ est rectangulo cõprehenso sub α & βδ, & ei quod sub α & δε, & etiã ei quod sub α & εγ. Excitetur nanq; (per 11 propositionẽ primi) ex β, ipsi βγ ad angulos rectos βζ: ponatur quoq; (per 3 primi) ipsi α æqualis βη & per η, ipsi βγ (per 31 primi) parallelus excitetur ηθ, & (per eandem) per δ, ε, γ, ipsi βη excitentur paralleli δκ, ελ, γθ. Aequũ est iam βθ ipsis βκ, δλ, & εθ, & βθ ei quod sub α & βγ: cõprehenditur enim sub ηβ & βγ, æqualis autẽ est βη ipsi α. At βκ ei quod ex α & βδ: comprehenditur nanq; sub ηβ & βδ, æqualis autẽ est βη ipsi α. At δλ ei quod sub α & δε: æqualis nanq; est δκ, hoc est βη ipsi α. Et insuper similiter εθ ei quod sub α & εγ. Quod igitur sub α & βγ cõprehenditur, æquum est ei quod sub α & βδ, & ei quod sub α & δε, & ei insuper quod sub α & εγ. Si fuerint ergo binæ rectæ lineæ, seceturq; earũ altera, & quæ sequũtur reliqua, quod erat ostendendũ.*



Eucli. ex Camp. Propositio 2.

2 SI fuerit linea in partes diuisa, illud quod ex ductu totius lineæ in seipsam fit, æquũ erit ĳs quæ ex ductu eiusdẽ in omnes suas ptes.

CAMPANVS. Sit linea a b diuisa in a c & c d & d b, dico ꝙ illud quod fit ex ductu totius a b in se q̃d sit a e b f, æquũ est ĳs quæ fiunt ex ipsa tota in unamquamq; dictarũ partium, quod palàm patebit, ductis e g & d h æquidistanter a c & b f. Aliter. Sumatur k æqualis a b, eritq; per præmissam q̃d fit ex ductu k in totã a b, æquũ ei quod fit ex ductu k in omnes partes a b. Et quia ex k in a b tantũ fit quantũ ex a b in se, & ex k in omnes partes a b quantũ ex a b in omnes partes eiusdẽ, propter id ꝙ k & a b sunt æquales, patet uerum esse propositũ.



Eucli. ex Zamb. Theorema 2 Propositio 2

2 Si recta linea secetur utcunq; , quæ sub tora & quolibet segmentorũ rectaugula cõprehenduntur, æqualia sunt ei quod ex toto est quadrato.

Ex hac secunda regula algebræ demonstratur

THEON ex Zamb. *Recta enim linea αβ, secetur utcunq; in signo γ. Dico quod rectangulũ comprehensum sub αβ & βγ, cum rectangulo cõprehenso sub βα & αγ, æquũ est quadrato quod ex αβ. Describatur enim (per 46 primi) ex αβ, quadratũ αβδε, excitetur'q; (per 31 primi) per γ, utriq; & αδ & βε parallelus γζ. æquũ est igitur αε ipsis αζ & γε, est autẽ αε ex αβ quadratũ. Et αζ sub βα & αγ rectangulũ contentũ, comprehenditur enim sub δα & αγ, æqualis autẽ est αδ ipsi αβ. Et γε ei quod sub αβ, βγ: æqualis enim est βε ipsi αβ. Quod igitur sub βα & αγ cum eo quod sub αβ & βγ, æquũ est quadrato quod ex αβ. Si recta igitur linea, & quæ sequuntur reliqua ut in theoremate, quod ostendere oportuit.*



Eucli. ex Camp. Propositio 3.

3 SI fuerit linea in duas partes diuisa illud quod fiet ex ductu totius in alterutrã partem, æquũ erit ĳs quæ ex ductu eiusdem partis in